



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XXVII. Dominus illuminatio mea, & salus mea, &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Sed mente prauī non sibi conscia,
 Lotusq; puris fontibus, ad tuas
 Aras adibo, lætus & offeram
 Lætæ choreæ dux tibi uictimas.

Te nostra pangent tympana, te lyra.
 Te uox canorō consona tympano,
 Lyraq; cœtūq; in celebri tua
 Miranda pandet facta nepotibus.

Tectūq; nomen quo canitur tuum,
 Aedemq; numen qua colitur tuum,
 Mens ardet: absentem retrahunt tuæ
 Quæ templa celant pignora gloriæ.

Hæc ossa tellus ne sine ut obruat
 Inter cruentos barbara barbaros,
 Qui fraudulenta mente coquunt scelus,
 Captant auara munera dextera.

Ergo institutum carpere tramitem
 Pergam innocenter: tu propius meis
 Aurem benignus questibus admoue,
 Ac me periculis tristibus assere.

Per plana firmo quod gradior pede,
 Quod recta sector, muneris est tui.
 Ergo salutis te columen meæ
 Cœtu in celebri laudibus efferam.

PSAL. XXVII. Dominus illuminatio
 mea, & salus mea, &c. Carm. gen. 3.

DEus in tenebris quum mihi præluceat,
 Vitamq; muniat meam,
 Quæ uis aperta terreat me? quæ mihi
 Fraus cæca sit formidini?

Aduer-

Aduersus unum quum scelestâ factio
 Cunctas parasset copias,
 Dolosa letho quæ tetenderant meo
 Ipsi incidere in retia.
 Si comminentur castra, si minacibus
 Infesta telis agmina,
 Securus animi specto castra, prælia
 Timore liber in tuor.
 Vnum expetiui, & usq3 & usq3 id expetam,
 Curis ut exemptus malis,
 Sim sacrosanctæ semper ædis incola:
 Augusta mirer atria,
 Deoq3 laudes personem, artus dum regit
 Vitalis auræ spiritus.
 Tum me sub umbra conditum tentorij
 Celabit, & periculis
 Procul remotum, rupis abruptæ uelut
 In arce positum, muniet:
 Ac ne relictum nunc quidem impiæ sinet
 Vi factionis opprimi.
 Victorq3 soluam uota, nec uictoriæ
 Auctor mihi tacebere.
 Audi inuocantem supplicem, & fractû malis
 Bonus fauensq3 subleua.
 Te mens anhelat, uultus ad uultum tuum
 Intentus usq3 respicit:
 Ne conde uultus lumen à me amabilis,
 Neu me in tenebris desere.
 Seruum per iram ne sine opprimi tuum:
 Vitamq3 quam debet tibi,
 Tuere ab hoste, & è periculis eripe,
 O spes

O spes salutis unica.
 Me cari amici, me propinqui, me pater,
 Me blanda mater liquerat:
 At non reliquit, qui pios in asperis
 Non deserit rebus, Deus.
 Parens benigne me uias doce tuas,
 Recta q̄z deduc semita:
 Ne uis metusq̄z ab hoste me deterritum
 De calle recti detrahat.
 Ne me impiorum obnoxium libidini
 Relinque. Testes impij
 Fingunt malignè falsa de me crimina,
 Armantq̄z se mendacijs.
 Mens uicta tantis iam fatisceret malis,
 Ni spes foueret me tuæ
 Benignitatis, post labores anxios
 Mox affuturum gaudium.
 Viuusq̄z uiuos inter ipse commoda
 Vitæ beatæ præstolor.
 In rebus ergo turbidis ne concide,
 Sed fortis usq̄z sustine.
 Te roborabit Dominus, & cor fulciet:
 Tu fortis usq̄z sustine.

PSAL. XXVIII. Ad te Domine clamab.

etc.

Carm. gen. 16.

PRinceps stelliferis altior orbibus,
 Vitæ præsidium & certa salus meæ,
 Aurem supplicijs da facilem meis,
 Nesciam similis busta petentibus.
 Audi uota parens, quæ tibi profero
 Supplex cum gemitu, brachia porrigens